

## De poetis latinis critica et hermeneutica.

---

Lucilii libro XXVI u. 524 L 22 M codices

quapropter deliro et cupidi officium fungor ruberum.

Quae uiri docti adhuc ad uersus exitum qui aperte corruptus est protulerunt emendandum, nihil habent quo nobis commendentur: males probare ita emendatum:

quapropter deliro et cupidi officium fungor liberum.

*Liberum* genetiuis pluralis numeri eodem uersus loco eademque forma usurpatus quinquies in scaenicorum reliquiis exstat, in Ennii tragicorum u. 362 in Accii 79. 376 in Turpili 54 in Afranii 361: 'Maiores uestri incupidioris liberum Fuere'. Quod hoc Afranii loco legitur, locutioni sollempni *cupidi liberum* quae apud Lucilium restituenda est aperte contrarium est: etenim *cupidus liberum* non *liberorum* Romanos dicere esse solitos Cicero in oratore 155 docet his uerbis: 'Itaque idem poeta . . . non dicit *liberum* ut plerique loquimur, cum *cupidos liberum* aut *in liberum loco* dicimus, sed' e. q. s. Cum tota Lucilii poesis odio uxoribus et matrimonii flagrat, tum liber XXVI cuius est uersus quem tractamus. Qui coniungatur oportet cum uersibus illis maritorum stultitiam deridentibus: 'Homines ipsi hanc sibi molestiam ultro atque aerumnam offerunt Ducunt uxores, producunt, quibus haec faciant, liberos': uidetur denique esse dictus ab aduersario quem poeta fingit cum ipso colloquentem seseque excusantem, quod commodorum nonnullorum quae modo enumerauit gratia matrimonii molestias subierit.

Lucilii inc. 1181 f. L 126 M. editores secundum codices plerosque:

et suffocare lacunas

conatur

Quod Mueller ita explicat, quasi quis lagoenarum colla cortice impresso tanquam strangulare dicatur conari: artificiosius quidem quam rectius, cum et codicum scriptura ad *lacuna* uocabulum

propius accedat quam ad *lagoena* neque conandi uerbum apte in re tam expedita, modo ne cortex iusto amplior intrudatur, uideatur positum esse. Emendes oportet codicis Parisini alterius lectione *laguna* adhibita

et suffocare lacuna

conatur

hoc est conatur nescioquis quem in lacunam deiectum et ui sub aqua demersum interimere. Lacuna est puteus aqua repletus<sup>1</sup> uelut apud Vergil. georg. III 365, et ablatiuus locum *in* omissa indicans recte se habet: denique de *suffocare* uocabulo conf. Lucr. III 889 'aut in melle situm suffocari'. Ceterum si quis scripserit *lacuna* *Se conatur* equidem non repugnauerim: conf. Plauti fragm. apud Prisc. I p. 280, 15 u. 45 Winter.

De nominibus propriis dies diem docet; tamen quin recte uiri docti censuerint Lucilii libro XXX 871 L 44 M ubi codices illo quid fiat Lamia et Pitto ixiodontes

quod ueniunt gumiae, illae uetulae improbae ineptae?

istud *Pitto* corruptum esse, non dubitarim: at istud quod substituerunt *Pytho* ineptissimum est neque *Lamia* hoc loco pro terriculamento positum, sed de duobus scortis Graecis et decrepitis et uoracibus aperte agitur, quarum alteri nomen Lamiae et uulgare et usitatissimum, alteri nullum facilius restitueris quam *Bitto*, quod nonnunquam et in inscriptionibus inueniatur et in anthologia Graeca mulieribus id genus inditum, uelut V 207 Αἱ Σάμιαι Βιττῶ καὶ Νάννιον εἰς Ἀφροδίτης Φοιτᾶν κτλ. append. epigr. 137 Βιττῶ καὶ Φαινίς . . . αἱ συνέριθοι Αἱ πενιχρα. γραῖαι κτλ. Sunt quidem et alia quae apte substituantur, uelut *Pitho* meretricis nomen apud Ouid. am. III 7, 23, sed illud propius a traditis abest. Pro *ixiodontes* recte Scaliger *oxydontes*, non quin illud quod traditum est, possit explicari — possunt enim commode dici anus edaces ἰξιόδοντες quae sunt uidelicet *uiscatis dentibus*, a quibus aegre quod semel ceperint *reglutines* — tamen praestat *oxydontes*, quarum 'dentes uel silicem comesse possunt' (Catull. 23, 4). Porro uersu altero Lachmannus recte me iudice uerba transposuit, cum *illae* uocabulum tantum non flagitetur, hiatus uero Muellero auctore in caesura legitimus facilius hoc modo tollatur quam ordine uerborum seruato feratur. Scribendum igitur:

<sup>1</sup> *Lacunae*: fossae ad siccandos agros paratae (Seru. ad Verg. l. l.). *Neptuniae lacunae* Cornif. ad Herenn. IV 15 *salsae lacunae* Lucr. III 1031 de mari.

Illo quid fiat, Lamia et Bitto oxyodontes

Quo ueniunt, illae gumiae uetulae improbae ineptae?

Illo — quo', id est 'illo homine quid fiat, cuius domum' eqs., ubi aduerbium pro relatiuo pronomine positum est. Lachmannus *quoi*.

Nos recte editores Lucilii mutauerunt libri VII u. 240 L 1 M ita traditum in codicibus manu prima:

hic est Macedo, si Agrion longius flaccet.

Poeta nimirum indignatus scribit: praesto hic est Macedo, si alius quidam meus catamitus fallere pergit amantem languere aegritudine sese simulans, sicut meretrices adsolent (Tibull. II 6, 49). Recte, opinor, Ἀγρίων puer appellatur, qui saeuum animum in amatorem prae se ferat: quod uocabulum legitime ab adiectiua ἄγριος sollempni in re amatoria (cf. Valckenaer ad Theocr. II 54) deductum — sicuti recte dicitur Σόφρων Δούλων Καρδοπίων alia — etiamsi in nostris lexicis non inuenitur, tamen exstat in Cramerii anecdotis Oxon. II p. 182, 6 ubi Ἀγρίων τὸ κύριον ὄνομα διὰ τοῦ ἰ γράφεται legitur. Denique *Agrion* iste quem uocat Lucilius utrum idem sit atque Gentius ille an alius id genus pusio, non apparat.

Libro XXX u. 948 L 121 M codices

publica lege ut mereas, praesto est tibi quaestor.

Scite quidem Mueller *publicitus*: tamen istud uerbum si ad priorem partem uersus adhibeas, abundat, si ad posteriorem ob uocem *tibi* paullulum offendit. Itaque haud scio an ad tradita propius accedant haec:

publicu', lege ut [tu] mereas, praesto est tibi quaestor.

Tu iam Lachmanus inseruit. Cf. Apulei. de magia cap. 101 p. 599 ed. Oud. 'Praesens est quaestor publicus, cui depensum est, Coruinus Celer, uir ornatus'. Verba uidentur esse hominis dona priuatim oblata recusantis et offerentem ad publicum quaestorem delegantis: uelut Scipio Aemilianus Liuio (periocha 57) auctore Antiochi regis munera sibi missa, quaestorem in tabulas publicas referre iussit.

Apud Varronem de lingua Lat. VII 66 M. exstat uersus Plauti ita fere traditus:

mulieres uxorculauit, ego noui, scio axitiosam.

Quae quidem corrupta esse patet: uirorum tamen doctorum coniecturae quas enumerat F. Winter Plauti fragmentis p. 47 parum felices fuerunt. *Axitiosa* uocabulum, quod Varrone teste Claudius ab una agendo deduxit demonstrauique *axitiosas* esse quasi consupplicatrices, nos quidem quid significet melius intellegimus ex

Astrabae Plautinae uersu apud eundem Varronem l. l. seruato (Winter l. l. p. 25):

axitiosae annonam caram e uili concinnant uiris.

Quibus uerbis efficitur isto uocabulo significari eiusmodi uxores quae uel fraude uel luxuria uictum maritis supra modum carum reddant: ergo axitiosa dicitur quae sumptuosa aut prodiga est. Solent autem uersus Plauti unam sententiam exhibere eamque perfectam atque illius de quo quaerere instituimus uersus posterior pars perspicua et iusta, at prior pars, qua cur *axitiosa* mulier uocetur, explicari debebat, aperte mendosa est: etenim de *muliere*, non de mulieribus agitur. Itaque uerbum transitiuum ad uerba *mulier es* — sic enim *mulieres* quod traditur interpretor — cum quaeram istud quod traditum est *uorcularuit* potest quidem recte traditum esse, si quidem Plautus simillime finxit *fraterculabant* in Friuolariae u. 71 Winter: tamen *uorcularuit* intransitiuam potius quam transitiuam uim haberet et pro uerbis *uorcularum more profudit* positum nonnihil certe langueret. Adhibita codicis G scriptura *exorcularuit* pro illud *uorcularuit* aliud ἄρα εἰρημένον supposuerim, sed et sententiae aptum nec Plauti stilo indignum una littera mutata:

múlier aes exárculauit, égo noui, scio áxitiosam.

*Exarculare*, hoc est ex arcula desumptum profundere recte formatum est, cum dicatur *expectorare exdorsuare eliminare exterminare euaginare* alia, atque id genus uerborum compositiones cum alii — uelut Varro in satir. *excuriare* dixit pro senatu mouere (221 B.) — tum Plautus in deliciis habuit, apud quem talia legantur: ‘Apud nos *expeculiatos* seruos fieri suis heris’ Poen. IV 2, 21. ‘Argenti exterebronides . . . Nummorum *expalponides*’ Pers. IV 6, 21. ‘Atque argentum *egurgitem*’ Epid. IV 2, 12. ‘Nam *exaedificauisset* me ex his aedibus’ Trin. V 2, 3 alia — *Arcula*, siue arca, in qua nummi adseruantur: Varro satir. 492 B ‘eo ut uaticum ex arcula adderem in bulgam’.

Summi profecto momenti sunt uersus illi quos incertus quidam auctor saturae X libri prioris Q. Horatii praeposuit cum ad historiam grammatices apud Romanos tum ad Lucilii librorum fata cognoscenda: quos quidem Horatianos non esse omnes, opinor, sani iudicii homines hoc tempore iudicabunt. Corruptissimi autem sunt quales in codicibus leguntur, utpote qui margini quondam libri cuiusdam Horatiani parum diligenter et manu properante illiti propter scripturae obscuritatem quae esse solet in eiusmodi adnotationibus aegre a librariis, qui eos descripserunt, intellecti

sint. Atque e codicibus, qui istos uersus exhibent, digni tantummodo sunt quorum rationem habeamus gemelli Parisini φ et ψ, porro λ Leidensis et l Parisinus item gemelli, postremo Bernensis β et Frænekeranus: qui tamen omnes eadem fere praebent. Quae reliqui codices habent singularia, ea meras coniecturas esse in propatulo est, nihilo eis quas uiri docti protulere praestantes. Tradita igitur sunt in illis codicibus fere haec:

Lucili, quam sis mendosus, teste Catone,  
 defensore tuo peruincam, qui male factos  
 emendare parat uersus. Hoc lenius ille  
 quo melior uir est, longe subtilior illo,  
 5 qui multum puer et loris et funibus udis  
 exoratus, ut esset opem qui ferre poetis  
 antiquis posset contra fastidia nostra  
 grammaticorum equitum doctissimus. Ut redeam illuc.

V. 4 corruptus est: etenim *uir* uocabulum et propter metrum uiolatum miramur et propter enuntiati ipsius naturam, cum de moribus Catonis uix est quod agatur, at de eius ingenio auribusque subtilibus et fastidiosis in numeris uersibusque emendandis. Multo uero grauius nos offendunt ea quae secuntur a multis multifariam tractata, sed nullo successu. Est tamen unum uerbum quo nitamur quasi fundamento emendationis codicum auctoritate munitum, quod fac ne subtraxeris admissis ineptis coniecturis, qualis est *exhortatus*. Etenim *exoratus* quid sit, Iuuenalis uersibus VI 415 ss. collatis perspicuum est: 'Nec tamen id uitium magis intolerabile, quam quae Vicinos humiles rapere et *concidere loris Excorata* solet'. *Exoratus* igitur ille dicitur caedere, cuius humanitas inter caedendum multa prece ad ueniam impetrandam nequiquam imploratur. Ergo Cato ille uapulauit et utique necesse est scribatur *puerum*<sup>1</sup> (*puerum* est iam Reisigius), quaeratur uerbum finitum ferendi uel caedendi. Quod latere corruptum in adiectiuo *udis* equidem arbitror, cum illud mirum quantum langueat neque ulla ratione apte explicari possit. Interpretes ac lexica aut tacent aut ea quae exhibent ad istam uocem interpretandam non digna sunt quae memorentur. An credat quispiam dominos aqua prius aspergere solitos esse flagella funesue, quam seruis plagas inurent, aut madentibus funibus qui uapulet eum acrius dolere quam qui siccis? Immo sequacius molliusque fit '*lorum in aqua*'

<sup>1</sup> Id est *puer*, qualis scriptura forsitan obuersata sit librario cod. q Parisini cum scriberet *p̄cier*.

(Petron. 134 B). Nimirum scribendum est *ussit* animaduertendumque in codice Bernensi β illud *udis* eraso alio uerbo exaratum esse et terminationem *it* saepenumero in codicibus mediam *d* exhibere. Vox ipsa uerendi ad rem peridonea: quandoquidem Horatius dixit epist. I 16, 47 *loris non ureris* epod. IV 3 *Hibericis peruste funibus latus* sat. II 7, 58 *wirgis uri*. Versu quarto quomodo uerba *quo melior uir est* quibus sane significatum erat cor illud Zenodoti iecur Cratetis, emendem nescio<sup>1</sup>. Quod scripsi saltem tolerari potest:

hoc lenius ille,  
quo melior uersu est, longe subtilior illo  
qui multum puerum et loris et funibus ussit  
exoratus.

Reliquum est ut de caractere et interpretatione horum uersuum agatur. Sermoni uidelicet propiores sunt atque ex tempore facti, quales fere Plinius minor ep. VII 4, 6 de Asinii Galli libris properanter composuit, neque miraberis uerba *grammaticorum equitum doctissimus* pertinere ad illud *exoratus*, scilicet ad magistrum Catonis, quoniam ad ipsum, quem et pauperem fuisse accipimus et famam fuisse seruum esse natum, pertinere nullo possunt pacto. Totus uero sermo redolet grammaticum et philologum — huius saeculi philologum audire declamantem credideris — qui duas Lucilii editiones naso critico inter se comparatas recenseat, Catonis recensionem lenius subtiliusque emendatam priori quam Catonis magister confecerat praeponat. Verum enim uero multi cum censeant hos uersus Horatii aetate esse compositos, longe secus res se habet me iudice. Etenim illud *emendare parat* non aliter intellegendum esse arbitror atque si scriptum sit *emendare studet, emendationi operam dat, emendaturus est*<sup>2</sup>, neque uerbum praesenti tempore positum ad tempus uersuum eruendum maioris momenti esse uidetur quam si in commentariis Homericis legimus ὁ Ζηνόδοτος γράφει. Nimirum auctor uersuum de tota Catonis recensione iudicium fert: quod non potuit nisi illa iam perfecta. Peruetustum denique istud saturae prooemium esse ideo non crediderim, quod neque in omnibus codicibus traditum est et commentatores, quorum recentior quisque aetate superiorem compilare

<sup>1</sup> 'Quo melior uir *et* est longe subtilior illo' codices nonnulli et uiri docti: male cum propter alia, tum propter istud *longe*, quod cum ablatiuo *quo* coniungi nequit.

<sup>2</sup> Iuu. VIII 130.

solebant, nil istos uersus curant: at in Vergilii commentariis actum copiose fuisse uidemus de falso illo prooemio Aeneidis, quod tantummodo *Arma uocis* interpretamentum poeticum esse patet, sed peruetustum. Postremo illi de quibus agimus uersus potius aliunde ad hanc saturam translati esse uidentur, quam ab auctore ad hanc ipsam Horatii saturam amplificandam et adulterandam compositi: quid enim ad Horatium Catonis Catonisque magistri studia Luciliana aut equitis illius saeuitia in pueros? Atque poterant quidem apte positi esse quasi prooemium recensionis a grammatico factae Lucilianorum librorum aut in poemate quodam de poetis composito, quale est illud fragmentum C. Iulii Caesaris in Suetonii uita Terentii. Iam quaeritur, quisnam fuerit ille magister Catonis, item Lucilii editor et eques R. Sicut Horatius puerum se apud plagosum Orbilius Liuii carmina legisse narrat, ita Valerius Cato Suetonio teste (de gramm. 2) apud Vettium Philocomum se Lucilii saturas legisse praedicauit: quod scriptum a Catone fuisse ueri simile est in libello, cui titulus fuit *Indignatio*, ubi de pueritia sua egerat (Sueton. l. l. 11). Vnde et auctorem illorum octo uersuum ea, quae de Vettio Catonis magistro narrat, sumpsisse crediderim. Vettius igitur Philocomus, Lucilii familiaris, qui potuit quidem idem esse, quem poeta Quintiliano teste I 5, 56 propter sermonem parum urbanum uituperarat, item eques R. sicut Aelius Stilo Seruiusque Clodius, amici defuncti poemata a se collecta primus legit et emendauit. Idem fecit et Laelius Archelaus, qui Lucilii familiaris sui saturas publice legebat: qui nescio num idem fuerit ac D. Laelius cui sua Lucilius quondam commiserat senex fortasse adulescenti, quales libro XXVI compellat his uerbis:

Persium non curo legere, Laelium Decimum uolo.

Ipsius enim aetas Catonis admodum incerta: quem quidem scimus licentia Sullani temporis patrimonio exutum esse, sed ambiguum certe est, quibus ex initiis Sullanum tempus pateat, cum Furius Bibaculus auctore Hieronymo anno 651/103 natus de Catone ut de maiore natu in poematis suis loquatur et Catullus (56) qui Catonem ut aequalem compellat 'O rem ridiculam Cato et iocosam Dignamque auribus et tuo cachinno' fortasse nil nisi Archilochum aemuletur qui scribat Ἐρασμονίδη Χαρίλαε χρῆμά τοι γελοῖον Ἐρέω, πολὺ φίλταθ' ἑταίρων, τέρπειαι δ' ἀκούων. Postremo caue credideris ex illorum uersuum paenultimo effici aut Catonem aut Catonis magistrum poesin Lucilianam defendisse simul et corrigendo ad rationes cantorum Euphorionis adaptasse. Qui nil

perfecto fecerunt nisi ut uersus Lucilii si qui erant aut propter metrum aut propter sententiam claudicantem aperte mendosi, corrigerent et emendarent, sed ita ut Cato eo *lenius*<sup>1</sup> molliusque euntes uersus restitueret, quo erat magistro illo superior et auris subtilitate (Gell. XIII 21) et numerorum scientia. Scilicet uersus Lucilii si qui *male facti* ferebantur, sine dubio iam Catonis aetate perdifficile diiudicatu erat culpane auctoris an librariorum quorum segnitatem et Cicero queritur, ita mendosi euasissent, ueluti licet Priscianus I p. 30 K expressis uerbis doceat Ennium in uersu  
 insignita fere tum milia militum octo

hiatum foedissimum admisisse, nos quidem nostro iure dubitamus an *ad*<sup>2</sup> alioque monosyllabo uocabulo, quod librariorum culpa interierit inserto hiatus tollendus sit. Longe igitur diuersum Horatii et interpolatoris iudicium de Lucilii poesi esse uidemus: hic enim de Lucilii editionibus et exemplaribus, ille de poeta ipso loquitur. Quisnam uero illos uersus composuerit, hoc nulli adhuc demonstrare feliciter contigit eorum qui de his uersibus scripsere: Kelleri et Heindorfii editiones consulat, si quem quisque eruisse sibi uisus sit auctorem, scire cupiuerit quispiam.

Liberi patris ad aram prouolutus Propertius deum precibus fatigat ut somnum sibi concedat amoris lenimen haec pollicitus (III 17, 12):

Quod si Bacche tuis per feruida tempora donis

Accersitus erit somnus in ossa mea,

Ipsae seram uites pangamque ex ordine colles

Quos carpant nullae me uigilante ferae.

Cum multa tum id potissimum in his uersibus miramur, quod parum eleganter capellae dicantur eliuos adrodere: quanto rectius Ouidius fast. I 354 '*palmitis* debueras abstinuisse caper'. Porro licet Columella XI 2, 18 dixerit 'Quin etiam uitaria diligenter facienda malleolisque quam recentissimis curiosissime pangenda', tamen hoc singulare est, at contra uulgare usuque tritissimum illud quod dicitur: pango semina, pango ad plantam propagandam

<sup>1</sup> Ita enim uerba *hoc lenius ille* interpretanda sunt. Quo enim pacto Catonis temperantia in emendando Lucilio laudari potuerit, si Lucilii carmina ad regulas τῶν νεωτέρων mutare conatus esset, non capio. Quod si facere re uera in animo habuisset utique uiolenter in tradita consulere debuit. Apud Suetonium de gramm. 2 me lectionem traditam 'Philocomus Lucilii satiras *familiaris sui*' probare tacite significaui.

<sup>2</sup> Curt. V 5, 5 Captiui erant Graeci *ad* quattuor milia *fere* e. q. s.

uirgulas uel ramulos a matre decerptos (Sueton. Galb. 1 Varro de r. r. I 41, 3), qui surculi a uite ad inserendum decisi palmites malleoli sarmenta uiiradices uocari solent. Accedit quod ad uerba *ex ordine* non multorum cliuorum mentionem expectes sed uitium ipsarum fieri (Pone ordine uites Vergil. eclog. I 73), pusillum denique uinitoris officium significari ex uoce *ipse* diuinamus. Ne multa: *pangamque ex ordine colles* intellegendum est non de cliuis, sed de *caullibus*, quod et *colibus* siue *caulibus* scribitur: duplicem autem istam l litteram recte se habere a Buechelero quondam didici ad Plauti Trucul. III 2, 18, ubi *caulles* recte traditum est. *Caules* (caules uitei Plin. XVII 162 Varro de r. r. I 41, 4 coliculi uitei I 31, 4 Colum. IV 22) aptissime si quid uideo ramuli illi uocantur qui ad uineam renouandam ordine panguntur uel inseruntur: uelut Cato de r. r. 33 ait: 'uineas nouellas alligato crebro ne caules praefringantur'. Colum. IV 7: 'omnis autem pampinationis ea est tempestiuitas, dum adeo teneri palmites sunt, ut leui tactu digiti decutiantur . . . Atque ideo, si iam *caulibus* duris falcem adhibere necesse sit, ei paullulum ab ipsa matre recidendi et uelut reseces relinquendi sunt . . . eatenus qua nascuntur a latere palmites'.

Prop. II 33, 7 seqq.

Tu certe Iouis occultis in amoribus Io  
 Sensisti, multas quid sit inire uias,  
 Cum te iussit habere puellam cornua Iuno  
 Et pecoris duro perdere uerba sono.  
 A quotiens quernis laesisti frondibus ora  
 Mansisti stabulis abdita pasta tuis!

Quorum uersuum nouissimum nondum emendatum in editionibus extare uidemus uariis coniecturis temptatum. Post *mansisti* Lachmannus *ut*, Heinsius *et* inseruere. A. Palmer, qui pro *abdita arbuta*, pro *mansisti mandisti* scripsit, nilo prosperiore successu usus est. Interpretatione magis opus est quam emendatione, nisi quod *mandisti* recte est emendatum, cetera recte tradita sunt. Distichon ita legas:

A quotiens quernis laesisti frondibus ora,  
 Mandisti stabulis abdita pasta tuis!

Quid enim aptius est poetae Alexandrinorum ingenio indulgenti, qui talia accurate depingere in deliciis habeant, quam puellam in bouem mutatam uaccarum ritu fingere uiuentem quercuum folia aspera pascentem (Caluus fr. 16 Lachmann), mansa tempore intermisso e uentre reuocata iterum mandentem? Quod quidem *ru-*

*minare* Vergilius et Ouidius uocant, *remandere* Plinius et Quintilianus. Facete igitur Propertius Iouis paelicem querna folia in pascuis comedentem facit, post in stabulorum quiete abditam folia pasta remandisse: etenim *pasta* accusatiuum esse manifestum est. Conf. Ouid. am. III 5, 17 de tauro:

Dum iacet et lente reuocatas ruminat herbas

Atque iterum pasto pascitur ante cibo.

Nondum satis exploratum est quali quantoque poetico praeconio Propertius II 34, 65 seqq. Vergilii Aeneidem nascentem populo Romano renuntiauerit licet copiosissime de hac re in eis commentationibus quas Baehrensium ad hunc locum laudauit actum sit. Atque ordinem quidem uersuum turbatum esse apparet: etenim toto exitu carminis de solis amatoriis poematis in quibus et Vergilii Bucolica aperte numerat Propertius, actum fuisse manifestum est: qui tenor carminis perquam moleste rumpitur Georgicon laude uu. 77. 78. Quod distichon ea da causa transferatur necesse est inter u. 66 et 67 atque ita iam Ribbeckium rectissime iudicasse e Munroi et Heydenreichii commentationibus uidi. Atqui post uerba '*Cedite Romani*' ad '*Iliade*' uehementer desiderari grauius quoddam elogium poeseos nascentis et poetae ipsius in Lachmanni et Baehrensii editione recte adnotatum est. Tamen hiatus quibus uersibus expletus erat, eos excedisse idcirco negauerim, quod eos ipsos esse cernam distichon 79. 80:

Tale facis carmen docta testudine, quale

Cynthius impositis temperat articulis.

Inepte enim de Georgicis, quae iam perfecta in publicum emanauerant *tale facis carmen* quod uide quanto rectius dictum sit de Aeneide nascenti. Deinde utique poetam elegantius Apollinem fecisse Troum errores post urbem euersam fataque populi Romani futura uaticinantem quam uitium pampinationem aut boum apiumue feturam omnes concedent. Bene se excipiunt uersus hoc ordine positi:

Cedite Romani scriptores, cedite Grai:

Nescio quid maius nascitur Iliade.

Tale facis carmen docta testudine, quale

Cynthius impositis temperat articulis.

Tu canis Ascraei ueteris praecepta poetae,

Quo seges in campo, quo uiret uua iugo.

Tu canis umbrosi subter pineta Galaesi

Thyrsin et adtritis Daphnin arundinibus.

Sequitur laus eclogarum, cuius uersus ultimi sunt:

Nec tamen haec ulli uenient ingrata legenti

Siue in amore rudis, siue peritus erit,

Nec minor his animis, aut si minor, ore canorus

Anseris indocto carmine cessit olor.

Quae equidem de iudicio quod critici de Vergilii poesi Sicula fecere intellego: neque ulli, inquit, Vergilii eclogae ingratae sunt legenti, neque poeta hac poeseos subrusticae tenuitate ab ullo iudice poetis aliis inferior habetur, aut si quibus Bauis Meuiis Anseribus ob arbitrium prauum criticorum cesserit, tum certe olor anseribus indigne cedere debuit.

Vetere me iudice corruptela laborat Ouidii metam. XIV u. 420, ubi legitur de nymphea Canente Picum coniugem amissum frustra exspectante:

nec satis est nymphae flere et lacerare capillos  
et dare plangorem: facit haec tamen omnia, seque  
proripit ac Latios errat uesana per agros.

Qui uersus multum abhorrent ab Ouidii eleganti perspicuitate et simplicitate, ut quorum sententia nimis sit impedita et contorta. Inprimis uocabula *satis* et *tamen* molesta sunt, quoniam nusquam dictum est, quid nymphea praeter fletum planctumque ultro fecerit, neque quod luctu uesana per agros uagabatur, id diuersum potuit fingi ab illis luctus signis, quae antea memorata erant. Verba *facit haec tamen omnia* sic quidem ineptissima uiam emendationis demonstrant: pro *satis* nimirum *fas* scribendum est:

nec fas est nymphae flere et lacerare capillos  
et dare plangorem: facit haec tamen omnia, seque  
proripit ac Latios errat uesana per agros.

*Nymphae* cum emphasi positum est: *neque enim lacrimare deorum est* (Ouid. fast. IV 521), *neque enim caelestia tingui Ora licet lacrimis* (metam. II 621). Euripid. Hippol. 1396 Diana: ὄρω· κατ' ὄσσων δ' οὐ θέμις βαλεῖν δάκρυ.

Petropoli.

Fridericus Marx.